

XLVI. Ac quamvis virtus non tam minis, vi ac metu, ^{necessitas,}
quam institutione & persuasione tradenda: tamen egregios
invitant premia mores quod premia ubi sunt demta, ibi, qui
premio aliquid dignum faciat, haut ferè reperitur ullus,
quod ipsa per se virtus amara atq; aspera est: hinc premiorum
collatione dulcius efficiendum ejus studium: hinc apud quos
maxima proponuntur virtuti premia, in eorum Republica
viri existunt praestantissimi.

XLVII. Estq; hoc justitiæ distributivæ, honores distribu- ^{norma,}
entis pro officiorum ac meritum dignitate proprium.

XLIX. Metienda verò premiorum ratio tum utilitate,
tum honestate: ubi qui sunt generosioris animi, precium nul-
lum laborum periculorumq; suorum præter honoris & gloria
desiderant.

XLIX. Huc referenda est Nobilitatis largitio, trium- ^{species;}
phi apud Romanos designatio, variarum coronarum, eque-
strium ornamentorum collatio, laudationes funebres, emeriti-
torum honesta liberalisq; tractatio, liberorum eorum, qui in
bello ceciderunt, ad pùbertatis tempus educatio, quod ab A-
theniensibus factitatum.

L. Hic in primis videndum, ne in indignos & vitiosos præ-
mia conferantur: quod ubi mali præmiis afficiuntur, virtutis
studium nullum est: quod malitia præmiis excitatur, qua si
demseris, nemo omnium gratuito erit malus.

LI. Sed nec premia sunt vulganda: quod si honores sunt
rari & tennes, gloriosi existunt, effusi verò contemnuntur,
haud secus ac olim Ostracismus Athenis usitatus, quò viri
virtute conspicui notabantur, malè audiit, quod improbi eo-
dem efficerentur.